



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Clara V. 12. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

O anima, que in te Christum habes, attende tibi,  
tibi ipsi vaca: immortalis est Christus sponsus tuus;  
cave eum deseras, ne ab eo derelicta diligas inimicum  
tuum ab omni justitia pulchritudine remotissimum.  
S. Ephrem de exercitat.

## S. CLARA V. 12. Augusti.

Francisci illustris partus virgo CLARA est, ma-  
ter eadem omnium virginum, quæ Francisci  
institutū æmulantur, jam antè parenti suæ, quām  
nasceretur, à Christo è cruce laudata. Ergo uni-  
cum sexūs sui miraculum ea facere molles vir-  
gunculas docuit, quæ multi in viris miramur,  
pauci imitamur. Asperrimam vitæ rationem, at-  
que ultimam, quam in ordinem suum invexit,  
paupertatem cordi Deo esse, vel tunc probavit,  
quando abundare in vacuo etiam vase oleum fe-  
cit, & dimidium panem quinquaginta omnino  
virginibus sufficere. Neque erravero, puto, si  
Moysi etiam feminam æquiparavero. Certè obsi-  
dione gravi cùm Assisium cingeretur, precibus  
ante Eucharisticum epulum CLARA depugnans  
omnes in fugam hostes egit, certiorque de victo-  
riâ ab ipso met sponso Christo est facta. Ab hoc  
aliâs nunc ad nascentis cunas, nunc ad patientis  
tormenta spectanda cùm evocata esset, Crucis  
deinceps signo ita usâ est, ut contra morbos  
Alexiteriorum, contra orci minas Panopliæ vicem  
esset. Jam moriens uti è terris cum purpurato se-  
natu summum Pont. ita è cælis cum candido vir-  
ginum agmine virginum Reginam, & cum hac  
summum Numen ad se pertraxit; itaque in cælo  
fuit,

fuit, antequām fuit. Ex Surio.

Sanguine Agni servatur domus à percussione Angeli:  
et aquā maris rubri extinguuntur inimici, quæ sunt  
mysteria Ecclesiæ Christi. Hieron. super Luc.

## S. CASSIANUS EP. ET MART.

13. Augusti.

Pulchrius longè CASSIANVS post Pontifica-  
tum, quem apud Brixentas gesserat, quām post  
Regnum olim Dionysius, ludum in foro Cornelii  
exul aperuit, non ignarus has demum illas esse  
rasas tabulas, è quibus nec senectus mores expun-  
gat, quos olim infantia inscripsit. Sed heu quoties  
juventus indignum tuis Doctoribus Minerval in-  
grata persolvis? Rapitur ecce ad judices CASSIA-  
NVS, & impietatis in Deos damnatus pueris tra-  
ditur excarnificandus. Nulla mora. Convolant  
velut ad ferias literarias pessimè feriati, & ad pœ-  
nas magistrum nudum discipuli vocant. Pars ta-  
bulas capiti illidunt franguntque, pars graphiis,  
nunc punctim, nunc verso stylo cæsim invadunt,  
vulnera identidem convitiis interpolantes. Alii  
nunc demum sibi literatum videri præceptorem  
clamare; alii rogare, num rubrica hæc placeret?  
num amplius fatis latusque stylus esset? satne acu-  
tum foret epigramma, quod exararent? Alii de-  
nique hortari se mutuò, ne otiosi essent; hoc  
præceptoris semper unicum præceptum fuisse,  
nunquam stylum ponere, semper aliquid scripti-  
tare. Et fortè unus è turbâ aliquis: ingrati non  
erimus CASSIANE magister, multas fateor tibi de-  
bemus, sed, hem! quas accepimus omnes reddi-  
mus, & cum fœnore, plegas. Quærebat interea  
per mille vulnera exitum ingens anima, nec re-  
periebat,

R. 5

periebat,